

quid vellet is, qui ei apparuit, facere, putans esse quendam senem monachum, nomine Feraldum, eiusdem monasterii decanum. Porro vir ille, qui ei apparuit¹, accessit ad locum², in quo vir iacebat sanctissimus, cooperuitque eum eodem vestimento et recessit. Interea praedictus presbiter vehementer in corde suo irasci cepit contra Feraldum³, quem diximus⁴, cur hora incompetenti talia praesumpsisset agere⁵. Sequenti vero die sedata nocturna commotione vocavit eundem Feraldum et de hoc facto percontare cepit eum. Ille vero, quia huius rei erat nescius, cepit iurare, se, quod dicebat, nescire. Tunc patenter omnibus claruit, quod angelicis ministeriis tueretur ubique pater sanctissimus.

5. Longum est, si velimus gesta eius vel dicta per singula describere. Neque enim omnino totum valet comprehendere, quod per illum et in illo Christus voluit operari. Sed iam tempus est nos declarare, qualiter divinae pietatis dignatio sanctum virum ex hac miserabili corruptione vocaverit et pro studio pii laboris celestem mercedis recompensationem contulerit. Sed ut ex eius laudabili vita adhuc parum perloquamur, cum eius doctrina et virtutum fama per omnem iam pene Italiam celebris haberetur, decreto sanctae sedis apostolicae et totius populi Romani concordii petitione illam famosissimam materiali dico opere simul et apostoli corpore SANCTI PAULI suscepit ecclesiam, ut in ea monasticae religionis institueret regulam et ad salutem plurimorum profuturam sanctae veritatis disponderet formam. Quo in loco positus et, ut ita dicamus, tanti apostoli vicarius effectus more apostolico viam fidei et pia semina verbi multis commendat atque in eorum cordibus lumen veritatis inflamat. Memor vero illius sermonis: 'Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne aliis praedicans ipse reprobis inveniar⁶', corpus proprium ieiuniis, vigiliis, orationibus et ceteris sanctarum virtutum operibus tanto instantius, quanto iam suae vocationi proximus affligit et ut verus athleta rigidis palestris iam senilia membra convellit. Unde factum est, ut, dum sibi tanto diutius, quanto et devotius ob sanctorum apostolorum conversaretur gratiam, verbo simul et exemplo fratribus ibi positae sanctae institutionis formam secundum illud apostolicum praeceptum arguendo, obsecrando, increpando tradidit et locum illum in sancta religione et monastica perfectione consummatum reddidit atque tamquam lucernam cunctis ipsius regni monasteriis pro speculo exhibuit. Ubi etiam per illum quoddam contigit miraculum non exceptis ceteris singulariter solum, sed de multis unum nobis manifestum, quod nostrae narrationi videtur inferendum.

1) In 1 in 'apparuerat' verbessert. 2) scamnum 2. 3) 'feraldum-que' 1 und 2. 4) 'putabat' 2. 5) Bis hierher reicht die Vita in 2. 6) Cf. 1. Cor. 9, 27.